MEMORIALE CIRCA ACTA SANCTORUM EDITA ET EDENDA PER IOANNEM BOLLANDUM, ...

Digitized by Google

Digitized by Google

1046.25

1046-25

7

XXXVIII

ACTA

Ex legato D. Equitis
Antonij Francisci
Marmij

1046
25

Digitized by Google

MEMORIALE CIRCA ACTA SANCTORVM EDITA ET EDENDA PER IOANNEM BOLLANDVM, GODEFRIDVM HENSCHENIVM, Societatis IESV Sacerdotes.

ANni complures ſunt, à quo Ioannes Bollandus & Godefridus Henſchenius, Societatis Ieſu Sacerdotes, omnium, quotquot toto orbe coluntur, vel à Catholicis Scriptoribus celebrantur, Sanctorum Acta, ex Latinis, Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis, colligenda, digerenda, commentarijſque & varijs obſeruationibus illuſtranda ſuſceperunt, ſeruata primigenia Scriptorum phraſi. Ex his duæ iam partes quinque grandibus voluminibus in lucem datæ, menſes Ianuarium ac Februarium conſtituunt: & Sanctorum nominatorum ſupra bis mille quadringentos, aliorumque innumerabilium res geſtas vel memoriam continent. Reliqui menſes pari modo ſequentur typis & ſumptibus Iacobi Meurſij Typographi Antuerpienſis. Quod opus cùm variarum Eccleſiarum Præſules, nonnullique Religioſi Ordines in Capitulis Generalibus congregati, animaduerterent plurimùm conferre, cum ad vniuerſæ Eccleſiæ honorem, & orthodoxi cultus confirmationem, tum ad ſingulorum Ordinum

atque

atque Eccleſiarum, quæ proprios ferè aliquos Sanctos habent, æſtimationem propagandam; Auctores prædictos non modò ſuis litteris animandos cenſuerunt, ſed etiam adiuuandos, ſuppeditatis vltro archiuiorum ſuorum eò ſpectantibus monumentis. Multi etiam, ijque dignitate præcipui, ſuaſerunt identidem, vt, antequàm cæterorum menſium Acta pergerent prælo ſubijcere, Romam ipſi accederent, inſpecturi per ſeſe Vaticanam, manuſcriptis omnis generis copioſiſſimam, aliaſque almæ Vrbis bibliothecas: vnde, atque ex reliquis Germaniæ, Italiæ, Galliæ locis, per quæ iter eſſet, complura documenta habere poſſent: quibus plenius ſolidiuſque ad prædicti operis abſolutionem inſtruerentur. Nunc igitur, cùm ſupranominatorum Auctorum vnus, Godefridus Henſchenius, cum Daniele Papebrochio in ſtudiorum ſocium deſignato, ſtabilitæ inter Chriſtianos Principes pacis commoditate vſus, dilatam diutiùs perfectionem ſuſcepit. Iidem Epiſcopos omnes & Congregationum ſacrarum aut religioſarum Prælatos vel Superiores, nec non quoſuis Viros eruditos & Eccleſiaſticæ veritatis atque antiquitatis ſtudioſos rogant, vt conatus ſuos benignè promouere velint: ſuggerendo eorum monumentorum memoriarumque notitiam, quæ ad Sanctorum, maximè Diœceſi, Ordini, Vrbi, aut Loco alicui propriorum, Vitam, cultum, Reliquiarum inuentionem, eleuationem, translationem pertinent: quibus ſe viciſſim gratos exhibebunt, honorificè profitendo (prout factum hactenùs) per quos adiuti inſtructique fuerint.

PE-

PETITIO.

I. Vt ſicubi extent manu exarata Martyrologia, eorum ſpecimen tranſmittatur, deſcriptis tribus vltimis diebus Martij, vt diſpicere poſſint num ea habeant.

II. Vt ex cuiuſque Sancti (de quo viſum fuerit ſuggerere aliquid) Actis, miraculorum collectione, inuentionis aut translationis hiſtoria, qualia vel ſeorſim vel in antiquis Legendarijs aut Paſſionarijs manuſcripta & hactenus inedita extant, deſcribantur duæ vel tres primæ lineæ, & ex vltima periodo aliquid, initium item prologi ſi adſit; ſimulque indicetur quantæ molis, ſiue quot paginarum ſingula ſint.

III. Vt, ſi quos libros vel iam olim vel recenter typis editos nouerint de antiquitatibus certarum Vrbium, Epiſcopatuum, Monaſteriorum; de Vitis Sanctorum, Officijs aut Lectionibus proprijs, deque alijs rebus ad Sanctos quoquo modo pertinentibus; indicetur forma, annus, locus, moles impreſſionis.

Quidquid ſuper his ad prædictos Auctores ſcribere placuerit, poterit alicui eorum inſcribi, & Antuerpiam mitti per curſores ordinarios, ſimulque indicari qua via ac ratione poſſint & velint ſcribentes reſponſum accipere.

Porrò, ſicuti nihil, ſaltem quod prolixius ſit, ſæpedicti Auctores deſcribi ſibi cupiunt, niſi priùs reſponderint ea à ſe deſiderari; ne fruſtra labor ſumptuſquê impendatur, ſi id anteà aliunde habuerint: ita, cùm aliquid deſcribi poſtulauerint, libenter repenſuri ſumptus qui fuerint in amanuenſes faciendi, optant id claro & legibili charactere, ſine abbreuiationibus aut inutilibus maiuſculis fieri, itemque fideliter nullo verbo mutato; quia ipſa Sanctorum Acta edunt ſeruato in omnibus ſtylo Scriptorum veterum: ſi quid autem indicandum videatur, vt in præfatione aut aliqua annotatione Lector admoneatur, præſtabit id ſeorſim ſcribi. Quod de reſponſo circa manuſcripta expectando monetur, erit etiam in impreſſis ſeruandum, quæ quidem alicuius molis ſint: nam ſi quid ita exiguum eſſet, vt per modum epiſtolæ tranſuehi poſſet, nihil obeſt quò minùs id, præſertim cùm recenter prodit, immèdiatè mittatur.

Die 26. Aprilis 1661.

ROMAE, Ex Typographia Vareſij. MDCLXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

99 95 7261